



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Annales Mariani Societatis Iesv**

**Nádasi, János**

**Romæ, 1658**

Anno MDXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42840**

na quam humana quæ agimus; erudianturque ab illa Ignatij sic tacentis hebdomadâ MARIANA; ut ab illa & silere & orare ardenter & agere attentè, ac diuinè omnia cumulandis amoris lucris immortalibus condiscamus. S. Ioannes Damascenus: *Frequens, inquit, ipsa ad famulos suos veniet, a secum bonorum omnium agmen trahet.*

*orat. 2. de  
Ass.*

A N N O M D X X I I .

22 S.P. Ignatius Hierosolymam visens, in singulis mysteriorum IESV & MARIAE vestigijs particulatim ore prono & lachymis volutatus, inclytam Dei Matris, ubi olim habitarat domum, & Bethlehemiticum Virginei partus tugurium religiosè est veneratus; augustè colens locum, ubi steterunt pedes eius. Montem item Caluarium, in quo sub Cruce stabat Mater IESV, nos à CHRISTO sibi veluti testamento donatos in Ioanne accipiens, & nobis in Matrem data. Omnia denique mysteriorum loca visebat, in quibus MARIA IESVM olim vel parvulum pariebat, vel virum audiebat, vel moribundo adstabat. Et vere illa Isidoro Thessal. dicitur; *Theſaurus mysteriorum.* In hoc tunc Thesauro versabatur, & opes cælestes colligebat Ignatius, lauitam filijs hereditatem: cuius cretio tunc erit quando illam adibimus.

*Vite B.V.  
mysteria  
expedere.*

A N N O M D X X I V . XXV. XXVI.

23 S.P. Ignatius nescio quo pietatis obtentus, se Barcinonæ turbari in studijs aduertit: ideoque Ardebalo Magistro suo ad vicinum Dei Matris de mari dictæ templum seuocato, ibi fatus in genua, velut in diuina Matris conspectu ac domo, studiorum suorum turbamenta enarrans, promisit flagrantem diligentiam, & accusationem; paratus in penas, si staret pollicitis. Atque hac arte sensit se magis

*ido-*